

illo asciscendo in Deorum numerum et retulit ad senatum et eo rem non probante nihilominus inter privatos deos eum colere perseveravit. Scilicet ut subscripta cruci cernantur duorum imperatorum nomina, qui et in ipso christiani nominis ortu rerum potiti sunt ac ne fuisse quidem alienos ab eo adorando, qui humano generi salutem crucis supplicio peperit, existimari possunt. Dominicum Fontanam, artificem ac molitorem egregii operis, magnis praemiis, ut dignum principe, Sixtus affecit. Primum aureo torque donatum ipsum posterosque eius e plebe ad equestrem ordinem transtulit honorificis verbis apud Patres collaudatum. Deinde et praesentia nummum aureorum quinque millia numerari illi iussit et pensionem annuam duorum item millium scutorum, quamdiu vixisset, statuit. Ac praeterea materiam omnem ad transferendum erigendumque obeliscum adhibitam, ut haberet sibi, concessit, cuius aestimatio viginti nummum aureorum millia excessisse fertur. Transtulit quoque alium olim in Campo Martio ab Augusto Caesare positum, quem casu suo comminutum, ante sancti Rocchi aedem, multa saecula iacentem videre. Hunc in Exquilinum collem, eodem ergatarum molimine pertraxit, ante Sanctae Mariae Maioris aedem ad hortos suos subrecturus. Dicitur et tertium eiusdem Augusti munere locatum in Circo Maximo, eruturus terra, qua alte sepultus iacet, et ad Lateranense templum a ruinis, ubi circus fuit, transportaturus. Verum aequasse veterum famam obeliscorum molitione non contentus, adiecit aliud haud minus magnificentum opus. Saluberrima pars urbis Quirinalis collis habetur Exquilino novis a Sixto viis iunctus. Cum fervent aestate calores, maxime in eum seceditur et valetudinis et animi causa, quod ibi frigidior aer et purior hauriri creditur, sed villis hortisque egregie cultus deliciis aquae destituitur, quam nisi pluviam fere non habet, nec spes ducendi eam ulla tentata, quando neque in propinquo fons esset, et longius petere operosum atque anceps et sumptus magni negotium videbatur. Sixtus missis libratoribus, qui rem explorarent, ubi montem subituram aquam satis comperit haud mora geminos iungit fontes magnitudine prope iusti fluvii et fornibus partim veteribus repertis purgatisque partim extractis novis longe uberrimam potuque salubrem aquam sexto decimo lapide ab urbe in colles Exquilinum et Quirinalem induxit, quae brevi in privatorum domos hortosque derivata exultiore omnia amoenioraque effectura videtur».

Ulteriormente la «Vita» tratta del prosciugamento delle paludi Pontine, della polizia, sui buoni costumi, dei congiunti di Sisto V, dell'attività religiosa del papa, della sua cura per la propria patria e della promozione cardinalizia del dicembre 1585. Con l'assicurazione, di voler proseguire l'opera sua (v. il passo in RANKE, III, 68*) dolorosamente l'autore l'interrompe. La promozione del dicembre 1586 non è più menzionata. Il lavoro perciò deve essere stato fatto prima di questo avvenimento, e non nel 1587, come opina Ranke (loc. cit.)